



Nf. 24.



74.  
34

2. D. B. V.  
 SERENISSIMI AC POTENTISSIMI DOMINI,  
 D O M I N I  
**FRIDERICI III.**  
 S. R. I. ARCHI-CAMERARII ET ELE-  
 CTORIS, MARCHIONIS BRANDENBURGICI,  
 &c. &c. &c.  
 DOMINI SUI CLEMENTISSIMI,  
 IVSSU ET MANDATO,  
 NOBILISSIMIS ACADEMIÆ HALLENSIS  
 CIVIBVS  
 LECTIONES MATHEMATICAS,  
 unâ cum  
 PHILOSOPHICIS AC HISTORICO-GEOGRAPHICIS  
*significat*  
**JOHANNES SPERLETTE,**  
 Philosophiæ Recentioris ac Matheseos Prof. Publ. Ordin.

34

ai.

---

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.





Um veteres Auctores Christiani, quos Patres vocant, haud secus ac Dæmonis stratagemata Iuliani Apostata Edictum consideraverint, quo Humaniorum ac Politiorum Litterarum studium Christianis inhibebat; primasque in scientiis humanis, refragante nemine, teneant Mathematicæ, nullo sane Pietatis obtentu ab earum cultura Juventus arceri debet. Et Mathematicæ dicuntur, idest, Disciplinæ, quia nihil præstantius nihil utilius in Scholis, in Academicis addisci potest; vixque ulla sit in vita civili hominum conditio, quæ iis prorsus carere queat. Arithmetica, Geometriam, Astronomiam, Chronologiam, Geographiam, Architecturam Civilem & Militarem, Artem Nauticam, Perspectivam, Dioptricam, Catoptricam, Mechanicam &c. atque omnium omnino scientiarum Elementa five Principia complectuntur; ita ut nullus merito audire debeat Philosophus, qui iis animum non habeat aliquatenus imbutum: nec sine causa Patres eas commendent etiam Theologis ac Theologiæ studiosis. Videantur, Hieronymus Tom. 1 Epist. 5. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 16.

At Nobilibus maxime quasi necessarium his temporibus factum est hocce studium. Ad magna Reipublicæ munia

nia administranda ; ad Rationes Principum exigendas ad castra sequenda, metanda ; ad Patriam terra marique contra hostes tuendam ; ad urbes contra illorum impetum defendendas & muniendas, ad ædificorum ornatum procurandum, ad fovenda commercia, nobilitate generis utcumque vocati censentur. Qui vero hæc omnia adimplere, hæc præstare dabitur, si studia Mathematica neglexerint.

Multa sunt & nimis multa, quæ in Gymnasiis, imo & in Academiis non nisi in spem futuræ oblivionis, ut aiunt, addisci debent, & de quibus inter politiores viros atque Aulicos sermonem habere velle, ipsorum sese ludibrio exponere est. Tales sunt innumeræ quæstiones Philosophicæ, partim inutiles & dubiæ, partim ludicræ, quas tamen magno animorum æstu pertractant Philosophi vulgares. Habent & tricæ illæ, inquit, suam utilitatem, mentem acuunt, capaciorem reddunt. Esto, vix concedo sed quid illam magis acuere, quid capaciorem quid aptiorem bonis omnibus discursibus & ratiociniis reddere potest, scientiis Mathematicis? Neque enim ullus dubitat, Philosophiam, uti communiter traditur à vanæ & ridiculæ scientiæ ostentatoribus, sive ab alteris Palæmonibus, quos graphicè descripsit *Suetonius* & quos Gallicè, *Pedans*, dicimus sophismatibus & vanis subtilitatibus esse refertam. Quod de Mathematicis nequaquam dici potest, quarum principia omnia per se nota ac manifesta sunt, quæ que probabilitatibus haud contentæ singulas propositiones, quarum veritas nondum omnino per se patet, sedulo demonstrant. Voces ambiguas non admittunt, non inanes subtilitates, sed terminos claros, omnibus notos; discursus solidos & omnis prorsus erroris expertes; ita ut formando ingenio multo aptiores sint Philosophiâ vulgari. Dico, *Philosophiâ vulgari*, ea enim methodo, eo ordine pollicitus sum in Catalogo Lectionum atque etiamnum

polliceor, toto hoc semestri quidquid solidioris Philo-  
 sophiæ est, quidquid in singulis Philosophiæ partibus omnibus  
 omnium Facultatum studiosis necessarium est, me privatim  
 illis esse expositurum. Quod & exequar Deo que volente  
 incipiam Die lunæ hujus Mensis Maij 16. ab hora septima  
 matutina ad octavam. Sed ad Mathesim, quæ huic Pro-  
 grammati materiam suppeditat & ad ea quæ ad ejus com-  
 mendationem faciunt redeamus. Qui non nisi excellentia  
 Archetypa soliti sunt intueri cæteris multo melius de tabu-  
 la judicant. Similiter qui principiis claris & per se notis,  
 nec non nisi exactis & accuratis demonstrationibus sunt  
 assueti, melius etiam de claritate & exactitate discursus  
 solent judicare. In Mathematicis ex uno cognito princi-  
 pio mille prius incognita mira propositionum veluti con-  
 catenata serie deducuntur; in illis interdum demonstratio-  
 nes occurrunt, quæ minus intelligi queunt, quin simul cen-  
 tum aliarum demonstrationum à quibus pendent, veritas  
 cognoscatur: quod profecto mirum in modum, ut ita lo-  
 quar, mentem dilatat, acerrimamque efficit, quippe quæ  
 uno velut intuitu tam multa sibi reddit præsentia.

Quare, sive Mathematicæ spectentur tantum velut oc-  
 cupationes, quibus juniorum annorum vacuum aliquo mo-  
 do repleatur, ne irrepant vitia; sive tanquam dispositiones  
 ad majora atque altiora studia, uti defacto spectari debent,  
 profecto quibus Institutio Inventutis & maximè Nobilium  
 cordi est, illarum studium promovere ac commendare te-  
 nentur. Olim Juvenes à Mathematicis studiorum initium  
 faciebant, nec ullus audebat Philosophorum Scholas fre-  
 quentare, qui prius optimè mathematicis disciplinis non fu-  
 isset exornatus: Unde pro foribus Academiae hoc Symbolum  
 pinxisse dicitur Plato, *α γεωμετρικῶν οὐδεὶς εἰσῆτω*. Huc nota  
 ingrediantur, qui Geometriam ignorant. Imo verò idem Pla-  
 to in

to in Philebo, omnes disciplinas sine mathematicis viles esse non dubitavit asserere; & in 7. de Republ. præcipit Mathematicas disciplinas primo omnium esse addiscendas propter varias ac multiplices earum utilitates, & non solum ad reliquas artes rectius percipiendas; verum etiam ad Rempublicam bene administrandam: cuius ego rei multa exempla cum præteriti temporis, tum nostræ ætatis, si id necesse foret, in medium possem adducere. Ibidem clarissimis verbis affirmat præcipuè Arithmeticos naturâ ad omnes doctrinas aptos esse, idoneosque, adeò ut etiam si nullam aliam nobis hæ scientiæ afferrent utilitatem (cum tamen infinita propemodum commoda ex ipsis percipiamus) perdiscendas tamen omni studio eas esse statuatur, quod ingenium, ut jam diximus, mentemque ad reliquas artes omnes capeffendas aptiorem reddant & acutiorem. Quod quidem experientiâ ipsâ magistrâ facile comprobatur. Videmus enim eos, quorum ingenium facile, & nullo negotio hisce disciplinis accommodatur, fructus non exiguos ex aliis scientiis percipere. Contrà vero est, qui ad hæc facultates idonei minime reperiuntur, prorsus ad ceteras esse ineptos. Præterea, mathematicis demonstrationibus assuefacti quasi moles fruunt omnium errorum, quibus mens humana sæpius astuat, fluctibus oppositas, cum in scientiis humanis assensum non præbeant nisi rebus clare, distincte & evidenter cognitis: quod unicum veritatis criterium esse meritò cum S. Augustino contendimus, l. de Doct. Christ. Cavete, inquit, ne vos scire aliquid credatis nisi adeò clarè cognoscatis, ac scitis hos numeros, unum, duo, tria, quatuor, simul sumptos, decem efficere: quod intelligi debet de numeris numeratis non numerantibus. Ubi vero magis hæc regula obtinet, quam in mathematicis, in quibus veritas sine nube apparet? Quocirca nobis summopere placere

cere debent; neque enim adeo mendacio mens humana depravata est, quin sicut voluntas bonum quatenus bonum ita & ipsa verum quatenus verum semper & in omnibus prosequatur. *Quid fortius desiderat anima quam veritatem?* inquit idem August. lib. Conf. II. Hanc igitur in mathematicis magis quam in ullis aliis scientiis detegimus, hanc in illis colere & amare debemus. Referunt, Aristippum philosophum olim tempestate quadam in littus Rhodium dejectum, cum ibi figuras Geometricas cerneret, exclamasse, *vestigia hominum agnosco!* Qui callent mathesim, si veritates omnes, quas demonstrat, serio perpendant, potiori jure exclamabunt mentem humanam illarum inveniendarum & explicandarum capacem naturam longè superiorem esse corporibus, brutis, ceterisque omnibus creaturis animatis & inanimatis, & consequenter illam non posse non esse immortalem. Verum, non vastitatem modo ex una parte atque velut immensitatem humani ingenii mathematicæ demonstrant disciplinæ; sed & ex altera strictos ejusdem limites: nimirum demonstrationes afferunt, quibus clarissime atque invictissime probatur, quantitatem aliquam finitam in infinitum tamen esse divisibilem. Quæ infinitas, cujus proprietates, respectusque varios evincunt, nihilominus est incomprehensibilis. Unde jure arguitur, plurimas dari veritates, quæ licet humanæ menti sint incomprehensibiles, ipsamque exuberent, non minus tamen certæ, firmæ, & inconcussæ censi debent; atque iis annumeranda esse plurima Religionis Christianæ Dogmata, quæ quamvis mentis humanæ captum excedant, verissima tamen sunt atque certissima: Et eo veriora ac certiora, quo magis infallibili, certiorique nituntur lumine, & fundamento; Deo nempe, Patre luminum, ea nobis in Sacris Scripturis revelante.

Plura



Plura ac prope modum infinita sunt, quæ in laudem & commendationem Disciplinarum illarum possem proferre, nisi me folii & Programmatis premeret angustia. Sed quid meo indigent calculo scientiæ illæ, quas tot ac tanti Reges ac Principes laudibus suis efferunt, & quarum necessitatem summamque utilitatem agnoscunt & deprædicant. Quod sine dubio Magnum ac Potentissimum Principem & Electorem, Dominumque nostrum Clementissimum commovit, ut qui in promovendis bonarum literarum studiis nulli alteri Europæ Principi cedit, in hoc etiam Hallensi Musarum Domicilio has disciplinas diligenter addisci ac doceri provideret & juberet, & idcirco hanc Spartam conjunctim cum Professione Philosophiæ mihi imponeret, ac duplici gratiosissimo Electorali Diplomate id significaret.

Quamobrem, ut tanti ac Clementissimi Principis voluntati, uti par est, morem geram, nobilissimisque ac Generosissimis Academiae nostræ Civibus prosum, omnem operam & diligentiam navabo, ut Mathematicas Disciplinas eo ordine, eaque methodo illis tradam, atque exponam, ut fructus exinde uberrimos possint reportare. Cum autem varios varia fata vocent, nec omnes eandem vitæ conditionem Sortiantur; Neque etiam omnibus omnia, quæ Mathesis complectitur, sunt æqualiter necessaria. Præcipuæ itaque & Mathematicarum partes eximiæ, quibus maxime Nobilibus interest incumbere, atque operam dare, sunt Arithmetica, Geometria, Architectura Civilis & Militaris, Artes Mechanicæ, & Geographia; Quas ut feliciter capiant, præmittere Elementa sive principia, quæ communiter Euclidis appellantur, plurimum expedit. Hæc verò Elementa, seu principia nostris temporibus à multis celeberrimis viris multo meliore ordine digesta sunt, quam ab ipso Euclide, qui prædecessorum suorum sui que ævi Ma-  
the-


thematicorum observationes & demonstrationes mathematicas potius compilavisse, quam naturali quodam ordine digessisse dicendus est. Ita censeo cum viris omni eruditionis genere conspicuis, *D. Nicole*, in sua arte cogitandi; *D. Antonio Arnaldo*, Doctore Sorbonico in suis novis Geometriæ Elementis; *D. Wallisio*, nobili Anglo, in sua Mathematicarum Historia; *D. Ozanam* in suo cursu mathematico; *Clerico* in sua Geometria practicæ; *D. Prestet*, in Academia Andegavensi Professore Matheseos in suis novis mathematicis Elementis; *Robaltio* in suis operibus Posthumis; Et cum aliis plurimis mathematicis insignibus Gallis & Anglis, quorum libros in manibus habeo, & quorum methodus multo carior multoque compendiosior Euclidis methodo multis rationibus mihi probatur, & probari debet.


Superest, ut Nobiles Dominos studiosos admoneam, quod tempus quasve horas speciatim his studiis mathematicis, vel potius privatae illarum informationi sim impensurus.

Die Lunæ, Maii 16. ab hora de Meridie quarta ad quintam, Collegium Geographiæ Astronomicæ, Naturalis, Historiæ ac Politicæ aggrediar, & spatio semestri absolvam.

In posterum autem, modo Deus vires suppetat & Sanitatem ab hora ante meridiem decima ad duodecimam, & ab hora de meridie quinta ad septimam, quicumque meâ operâ uti voluerint in mathematicis, aut in aliqua Mathematicarum parte, me semper paratissimum invenient.

SOLI DEO HONOS ET GLORIA.





Ja 1586



ULB Halle 3  
001 508 687




73 202  
St

VD 78

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

74.  
34

B. V.  
 TENTISSIMI DOMINI,  
 MINI  
**RICI III.**  
 MERARII ET ELE-  
 IS BRANDENBURGICI,  
 &c. &c.  
 LEMENTISSIMI,  
 MANDATO,  
 ADEMIÆ HALLENSIS  
 VIBVS  
 ATHEMATICAS,  
 à cum  
 HISTORICO-GEOGRAPHICIS  
 nificat  
**SPERLETTE,**  
 c Matheseos Prof. Publ. Ordin.  
 DREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.

34

ai.

